



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Monvmenta Paderbornensia

Ferdinand <II., Paderborn, Bischof>

Paderbornae, 1669

6. Hic Varvm Infesto.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11425

3. VETERVM BRVCTERORVM. Et sedes & nomen sæpe vetus hic clarusque populus mutavit. à Veljeo, Tacito, Suetonio, Apollinari, Claudiano, *Brueteri*, à Ptolomæo *Βροάκτεροι*, Strabone *Βρόκτεροι*, vitiose ab utroque & contra etymon nominis. in tabula itineraria *Buruēturi*. in panegyrico Nazarij *Bruteri*. apud Sulpitium Alexandrinum *Briēteri*. à Beda in histor. Anglorum, Marcellino in vita S. Suiberti *Boruētuarij*. à Gregorio 2. Papa *Borthari* appellantur. Postquam vero *pulsis Brueteris ac penitus excisis vicinarum consensu nationum, seu superbia odio, seu præda dulcedine, in fines eorum antiquos Chamavi & Angrivarij immigrarunt.* Tacit. de morib. Germ. superstites ultra *Luppiæ & Amisæ* fontes ac saltum *Teutoburgium* domicilia ad *Visurgim*, silvam *Hercyniam & Rhenum*, inter *Coloniam Agrippinam & Hassos*, quæsiuere. Claud. de 4. conf. Honorij.

Venit accola silva

Bruēterus Hercynia.

4. BRVCTERVS HÆC COLVIT LOCA.

Si, ut Tacitus habet, inter *Amisiam & Luppiam* haud procul *Teutoburgiensi saltu ultimi Bructerorum* fuerint, manifestum est, tractum eos *Delbruggium* tum tenuisse.

5. QVOD NVNC INDIGENIS NOMEN VT ANTE MANET. Mollerus in descript. Rheni. lib. 5.

Quin & Dalbrugis vestigia nominis insunt.

Sive enim *Brueteri* nomen à paludibus, quos *Broucken* vocitamus, ut sint *Brouckers* quasi paludum accolæ, sive à pontibus, qui *Brucken* appellantur est deductum, *Delbruggia* utrumque convenit, quæ & paludosa est, & propterea pontibus aggeribusque abundat. vide orig. Franc. Isacij Pontani. l. i. c. 9.

6. HIC VARVM INFESTO. Hæc potissima causa fuit expeditionis adversus Germanos, qua *ultimi Bru-*

G 2

cterorum

eterorum vastati. Tacit. i. Annal. Bellum ea tempestate, qua Augustus obierat, nullum, nisi adversus Germanos supererat: abolenda magis infamia, ob amissum cum Quintilio Varo exercitum, quam cupidine proferendi imperij, aut dignum ob premium.

7. GERMANICVS. Drusi filius, cui, liberisque ejus, & posteris cognomen istud à senatu datum. Flor. lib. 4. c. 12. Dio. lib. 55. Suetonius in Claud. c. 1. Præterea Senatus inter alia complura decrevit Germanici cognomen ipsi posterisque ejus. Quod alij deinde Imperatores, ut Vitellius, in vita Galba Plutarch. Trajanus, in Panegyrico Plin. Julianus, Gallienus ac Caracalla immeritò sibi arrogarunt, quando alij in provincijs parva strage excursantes quosdam milites Germaniæ vel vincerant, vel in amicitiam receperant, vel domita modica Germaniæ regione, mox totam Germaniam se domuisse sunt gloriati. Elias Schedius de Dijs Germanis. pag. 27. Domitianus autem, cui nomen, teste Martialo, Nobilius tribuit domito Germania Rheno, tam vanus & appetens hujus tituli fuit, ut de eo testetur Tacit. in Agricola. vita. Inerat conscientia derisus nuper fuisse falsum è Germania triumphum emptis per commercia, quorum habitus & crines in captivorum speciem formarentur. vid. Schildium de Caucis. l. II. c. 6. Imitatus nimirum ridiculam hac in re C. Cæsar. Caligulæ vanitatem, qui teste Suet. l. 4. c. 45. Mox deficiente belli materia, paucos de custodia Germanos trajeci, oculique trans Rhenum jussit: ac sibi post prandium quam tumultuosissime adesse hostem nunciari. Quo factò proripuit se cum amicis, & parte equitum prætorianorum in proximam silvam, truncatisque arboribus & in modum tropæorum adornatis ad luminare reversus, eorum quidem, qui secuti non essent, timiditatem & ignaviam corripuit, comites autem & participes victoria novo genere ac nomine